

PHILIPPI
ALBERTINII

Pisciensis I. C.

E P I S T O L A

A D A N N I B A L E M
C A M P E G I V M.

Qua adolescenti gratulatur nouem mensum peregrinationem, quod, Hetruriaperagrata, clarorum virtute, ac doctrina virorum sibi benevolentiam adiunxerit.

Principuè verò Magnorum Hetrurię Ducum Christernę Lotharingi matris, & Cosni Medices filij gratiam conciliauerit.

Clarorum virorum elencum auersa pagina indicabit.



Alexander Burghius Episcopus, Pontificis Maximi
Vicarius, vir doctissimus.

Belisarius Vintha Eques I. C. corum, qui Magni Herutriæ
Ducis à secretis sunt, princeps.

Petrus Guicciardinius I. C. Magni Herutriæ Ducis apud
Pontificem Maximum orator.

Baptista Guarinius Eques, philosophus, & poeta.

Petrus Scrofius philosophus, & Pontificis Maximi ab arcans
diplomatibus.

Raphael Gualterotius, philosophus, & poeta.

Octavius Rinuccinius philosophus, & poeta.

Franciscus Bracciolinius, philosophus, & poeta.

Margharita Srocchina, philosopha, & poetria.

Annibal Minalius eques I. C. & humanarum litterarum pe-
ritissimus.

Petrus Victorius iunior I. C. & Latinarum, Græcarumque
litterarum peritissimus.

Scipio Bargalius, eques, magni nominis, & summæ uir erudi-
tionis.

Scipio Bendinellius, philosophus, & orator.

Iosephus Albertinius, orator, & poeta, humanarumq; litterarum
disertissimus interpres.

PHILIPPVS ALBERTINIVS I. C.
ANNIBALI CAMPEGIO S. D.

In eius Campegianum.



LEX ANDRV M Becche-
riam, Magni Ducis Hetru-
rie apud Gubernatorem
Mediolani Oratorem, pra-
clarum tibi apud Ticinenses
tuos testimonium dedisse vir-
tutis, ac grauitatis, in primis vero modestiae, non
modò ex summorum virorum, quorum tibi Ro-
mæ, totaq; Hettruria abs te nuper peragratæ, ami-
citiam adiunxisti, litteris ad se se scriptis, sed
etiam ex congressu, & sermone inter nos habito,
cum nudius tertius hominem officij caussa adijs-
semus; & tibi, ut scis, vehementer planè sum
gratulatus, & mibi immortaliter sum gauisus.
Cum enim virtus ipsa per se ita sit laudabilis;
ut, si quis ea sit ornatus, laudetur præcipue præ-
ter cæteros; grauitas vero, ac modestia in ado-
lescentia, etatisq; flore sic commendetur, ut

magnam apud omnes excitet admirationem sui;
contra verò, si desideretur, aut absit, eidem cæ-
seræ virtutes iudicentur abesse: talia tibi acerri-
ximo grauissimorum hominum iudicio fuisse tri-
buta, discedentemq; ex Heturia summam ip-
sius laudem esse prosecutam; Et mihi, qui meus
est singularis in te amor, gaudendum, Et tibi
gratulandum optimè intelligebam, adolescenti ni-
mirum ad summam gloriam maximè nato, atq;
apto: qui prima peregrinatione illis ipsis, quibus
ornatus es, ornamenti, non unius, aut alterius
Romæ Cardinalis animum deuincire, in Hetru-
ria verò ipsa præclarissimorum etiam virorum
benevolentiam conciliare Et scieris, Et potueris,
quorum nonnulli inibi sunt, ut virtutis fama im-
mortalitatem consequantur; nonnulli iam sunt
consecuti. Prætereo prudens sciens Piscienses
meos: in quibus tamen est Iosephus frater, cuius
eruditioem tanti facis, quanti omnes faciunt,
quibusunque non est eius incognita virtus, ni-
mirum plurimi: neque me fraternalis amor fallit.
Cuius tui iudicij argumento est, quam estate su-
periore ad eumdem, dum rusticaremur, misisti,

elegan-

elegantissima elegia, cum ijs, quæ à veteribus
 sunt conscriptæ, penè comparanda, cum ad Tibul-
 lianas proximè accedat. Quosquidem Piscien-
 ses sic in tui admirationem pertraxisti, ut sex ip-
 sos menses, quos apud illos fuimus, partim quasi
 in aestuis, partim velut in hybernis, in oculis te
 tulerint, omni obsequio, humanitate, amore, offi-
 cio sint complexi, in discessu verò corpore, oculis,
 lacrymis, bonis omnibus, animo, memoria prose-
 cuti. Mitto Lucenses finitimos meos, in quibus
 fuit Scipio Bendinellus: qui dum vixit, (supe-
 riore enim hyeme diem obijße, non ignoras, tristè
 sui cùm patriæ tūm amicis desiderio relicto) in
 totius Italiæ laude vixit ob præstantem doctri-
 nam cum animi probitate coniunctam: ad quem
 cum litteras scripsisses bene latine loquentes, me-
 mini, eū mecum fuisse admiratum tuos in eo ge-
 nere processus. At Lucenses mittere fortasse pos-
 sum: Pistorienses verò finitimos item meos, quib[us]
 possum? In his est Franciscus Bracciolinus
 ex ijs, qui nostra tempestate Tuscè poemata pan-
 gunt, poeta sanè valde bonus. Ad quem cum
 Pistorijs, ut eum defacie nosceremus, domum

vna venissimus; ut primum intellexit tuam in
congressu humanitatem, ex colloquio rverò inge-
nium eßet admiratus; nosti, quæ suscepæ in te be-
nevolentie fuerint argumēta, quæ invitationes,
ut pomeridianis horis apud se eßemus, ad quem
magnus lectissimorū ciuium erat futurus ex to-
ra ciuitate conuentus. Florentinos itē qui possum
sine culpa, imò rverò sine veteris, quæ mihi iam
inde ab adolescentia summa cum ipsis fuit, ami-
cīe quasi iniuria aut preterire, aut dissimulare,
potissimum ob studiorum communionem? In ijs
est Ioannes Baptista Strotius meus: at qui vir,
dij boni? nimirum de quo ego non modò parùm,
sed nihil potius hic dixisse videbor, si virum in
omni scientiarum genere maximè versatum, si
maximum, non ex Rhetorum officinis, vt ait ille
tuus, sed ex Academiæ (addo ego ex Licei) spatijs
oratorem, si lepidissimum poetam appellem: si ve-
rò humanissimum, ac modestissimum hominem,
quot sunt, quotq; fuere,

Quotq; post alijs erunt in annis,
cateris fortasse omnibus, ipse mihi quidem non
faciam satis, Quotus quisque esse potest, qui tan-

7

ti viri doctrinam non admiretur, orandi facultatem verissimis laudibus non extollat; lepidissimos, quos Tuscè conscribit, versus, omni prorsus lepore, ac sale conditos, non amet, non exosculetur, humanitatē non predicet, modestiam non amplectatur, quo nibil fieri possit humanius, nibile xcogitari modestius? Quibus praesclaris animi bonis cuinam mirum videatur, si suorum Principum animos ita deuinxit, ut eorum benevolentia, ac gratia perfruatur? In illis ipsis est Raphael Gualterotius, Philosophus præstantissimus: quem ubi adiuimus, audiuimus de reconditis, abstrusisq; naturæ rebus subtilissimè differentem; vt euī virum facile posses agnoscere, qui Aristotele apotissimum in succum conuerterit, ac sanguinem. In ijsdem est Petrus Victorius junior, qui iurisprudentiam cum eloquentia coniunxit: atq; iea coniunxit, ut ultra excellat magis, dubitari facile possit: senioris Petri humanitatis, ac doctrinae, vi patrimonij, fatus res bares. Sed possum ne obliuisci, qui mihi penitus in memoria insedit, Octanum Rinuccinū, florem uenientis, decus ciuium suorum? quem iam inde

ab eo tempore, quo Pisis Iuri operam dabam, me-
 mini, adolescentem Hetruscas Musis sic esse in de-
 licijs, atque amoribus; ut, qualis uno omnium
 est iudicio, talem futurum augurarer, ingeniosif-
 sum scilicet, ac lepidissimum poetam: cuius egre-
 gia, eximiaque virtus, quae id genus poetis, prin-
 cipem inter veteres locum obtinentibus, par est,
 duodecim ante annos Florentiae in frequentissimo
 totius, quæ illuc confluxerat, Italiæ theatro, spe-
 Etata est, atque incredibili clamore, & plausu
 comprobata. Eacum Magno Ferdinando optimè
 esset perspecta, et cognita, nemini mirum videri
 debet, si Octauium Rinuccinum legerit ex omni
 nobilissimorum ciuium numero, ac præcipue præ-
 ter ceteros, quos Mariæ Medices, Galliarū Re-
 ginae, Magni Francisci fratri filiæ, cū ad Henri-
 cum Regem virum deducenda esset, toto itine-
 re, totaque nauigatione in Galliam usque comi-
 tes, atque asseclas esse voluit. Is igitur, cum do-
 mun ipsum conuenisset, ubi te miro sui cognos-
 cendi desiderio flagrare, fama virtutis incen-
 sum, ex nobis audiuit, occurrens ad ostium, ad-
 ventumque gratulatus, ea grauitate complexus

9

est animi cui propensionem, ut summam huma-
nitatem non desiderares: est enim in eo, ut tu
quoque per acutè vidisti, quam difficillimam sa-
pientes esse dixerunt, & ob id in paucis reperias,
illa grauitatis cum humanitate societas. Ab
his omnibus, qui mibi pro centum milibus &
sunt, & verò eciam esse debent, ad quorum ami-
ciciam nos tibi aperiimus quasi fores, cum suau-
tates ingenij cui perspexissent, quām humaniter
fueristi exceptus? quām libenter in familiaritatē
cooptatus? quibus laudum præconijs ornatus?
His porrò accessit, diuinus planè vir, eques splen-
didissimus, Belisarius Vintha, eorum, qui Ma-
gni Duciis à secretis sunt, meritò princeps: qui
cum in expendendis hominum ingenij, ijsdemq;
diudicandis & natura, et longo reum usu
perspicacissimus sic, quam de te animo concepe-
rit opinionem, ego ceriè, qui cum ipso de te non
semel, aut iterum sum collocutus, haud facile di-
xerim. Sed de Senensibus expectas, video,
quid dicam. In ijs Scipio hodie Bargalius eques,
quasi regnare videatur, vir fanè ut excellenti
ingenio, sic famam celebris, ut apud omnes

virtute, ac vigilijs nomen cum omni posterita-
te adæquauerit. Is ubi te se se alloquenter au-
diuit, & ex sermone animum cognouit; quām
facile ad te amandum fuerit affectus, locupletif-
fissimi nos restes sumus. Ut enim cetera taceam, no-
bis ab eo abire non licuit prius, quām utriusque
nomen in numerum retulit eorum, cum quibus
eam amicitiam instituere consueuit, quæ ex vir-
tute orta, altissimisq; defixa radicibus, est sem-
piterna, cum nulla unquam rati diuelli possit.

Atque hos quidem in Hetruria tibi viros com-
parasti. At quos Roma non modò viros, sed etiā
fœminas, quæ virtute viris præstant quām plu-
rimis, conciliasti? mitto Cardinales. at Baptistā
Guarinium, equitem, cur mittam? cuius elegan-
tissima scripta, ac lepedissima monumenta om-
nium plausu ab hominibus sic sunt excepta, sic
omnium manibus teruntur, ut non minus ad
posteritatis memoriam, quām ad præsentis tem-
poris gratiam spectare videantur: quibus nomē
sum ita consecrauit; ut ipsius sint gloriae, & ho-
noris eterna futura insignia. Is ut animi tui sen-
sus, ad laudemq; impetus intellexit, admiratus

11

ingenium non ex multis modò sermonibus, quos
cum illo habuisti, sed ex dulcissima, quam ad
eundem miseras, elegia, ita te caput amare, ut
nullum tempus fuerit, quod Rome commorari su-
mus, quin de te honorificissimè & sentiret,
& loqueretur: neque hoc uno fuit contentus.
extant eius ad me litteræ, in quibus tibi non ma-
gnum modò præconium tribuit; sed graue etiam
testimonium imparxit. Cum eo magna contentio
ne certat nostri seculi sapientissima, ac doctissi-
ma fæmina Margharita Sarocca, omni non so-
lum scientiarum genere ornatissima, sed in pan-
gendis Etruscis carminibus tam admirabili in-
genio, ut veteres poetrias superare potius, quam
adæquare verissimè dici possit. Cui tu lepidissi-
mo epigrammate scripto perbellè finxisti, deci-
num inter Musas locum ex Apollinis senten-
tia Saphonem debere concedere, quod hæc illi lan-
gè præstet, quæ Heroicum poema conscripsit.
De quo quidem poemate, cum ad Saroccam mul-
ti, iijq; docti viri ventitarent, scis, quæ, nobis
præsentibus, iudicia fierent, quantaq; de eodem
libros nonnullos ex authoris lectione degustantibus

bus esset expectatio , omnibus nimis affirmantibus sine controvërsia , lectissimam fæminam inter epicos nostri temporis posse obtinere summa cum laude , ac dignitate locum .

Insignemq; suo capiti petere inde coronam ,

Vnde prius paucis velarint tempora Musæ .

Sed nihil necesse est commemorare , qui in oculis Pontificis Maximi habitat , eius ipsius ab arcanis diplomatibus , Petrum Strotium , virum omni doctrinæ genere ornatussum: nihil Annibalem Minalium , Muretanæ , ac Pogianæ alumnum discipline: qui in his litteris , quibus ad tuas latinas respondit , nullum finem facit prædicandæ epistolæ tuae , rebus , & sententijs (ut hominis verba usurpem) refertæ , elegantiissimis verbis contextæ , ingenij luminibus littæ : ex quo factum esse affirmat , ut ab se vnicè diligaris: videriq; sibi , ait , te in Margharicæ mairis vulnis eloquentiam bauisse , ut in Cornelie gremio Gracchi didicisse perhibentur . nihil præterea sex centos alios nominare . At Alexandrum Burghium , Pontificia Vicarium dominationis , eum qui una omnium voce doctissimus usurpatur ,

quæd

quòd encyclopédiam absolueris, virtute ipsa olim
ad Episcopatus dignitatem evectum, Maximis
Pontificibus, præsertim verò Clementi Octauo,
charum, Romanae aulæ ornamentum, ac decus,
nō nominem? aut Petrum Guicciardinum, Ma-
gni Ducis Hetruriæ apud eumdem Pontificem
oratorem, præterea m? tanta eloquentia cum pru-
dentia coniuncta virum; ut ex utraque homi-
nis eluceat ingenij lumen: tanta commoditate,
tanta opportunitate, vt temporis ad res abeu-
das idonei, ad negotia pertractanda apti nemo
magis eo sit intelligens. Horum omnium benevo-
lentie, & amoris in te sui non incertā, incerta
autem? imò verò certissima argumenta fuerunt.
Sed, ut Florentiam redeamus, quamquam ora-
tionem potius scribere, quam epistolam texere vi-
deri nolo; facere tamen non possum, quin, nisi
tuæ laudis, cuius maximè sum cupidus, nuidus
videri velim, buc addam, quanta ipse te posueris
in gratia apud Magnos Hetruriæ Duces Chri-
sternam Lotharingiam matrem, ac Cosmum Mo-
dicem filium, quanti enim interest,

Principibus placuisse viris? quod quum de no

bis percrebescit, ad nostram laudem nihil videtur
 posse addi, ex quo maior ab omnibus nostri ratio
 habeatur: qui nostra virtute tantum efficere,
 ac præstare possimus, ut eorum, qui in cæteros
 habent imperium, et ad Reipublicæ gubernacu-
 la sedent, amorem, ac gratiam consequamur.
 Cum, igitur, ad Heroas illos ab aula principibus
 Sylvio Piccolomino, et Ugolino à Monte in
 cubiculum esse introductis, ut eosdem pietatis,
 ac reverentie causa venerareris, ubi primum ex
 congreſsu, ac sermone senserunt te, quam orator
 Beccheria suis litteris ipsis commouerat, præcla-
 rè non modò sustinuisse, sed prorsus viciſſe expe-
 ctationem; bone DEVS, quanta te begnitate,
 quanta humanitate, quæ in vultu, in oculis, in
 verbis, animi imagine, indicibus, signis, ac notis.
 apparatbat, exceperunt? Dicam verè, Annibal,
 ut amicis meis dixi quamplurimis, Heroes illi
 ipsi se se vicerant: qui tuæ laudi non modò faue-
 re, sed honori velificari mibi, qui præsens aderā,
 viderentur: nec tibi quisquam facile persuade-
 ret, si de alijs audirem, que tibi à se dimisso, maxi-
 mèq; collaudato, tam benigne, tam prolixè sunt
 polliciti.

polliciti. Quid quòd eatibi patere omnia sponte,
atque vltro imperarunt, quæ summa tam am-
plitudinis viris, qui Florentiam accedunt, pate-
re rogati imperant? mira videlicet, vel quæ stu-
pore potius, quam admiratione afficiant: quæ si
quis commemorare instituat, cum omnem supe-
rent fandi copiam, commemorantem annus defi-
ciat, nedum dies. Quare quòd in hac peregrina-
tione eum te prestiteris, ut virtute, grauitate,
ac modestia tot, tantorumq; virorum bonam,
magnamq; messueris messem, eorumq; beneuo-
lentiam, atque amorem tibi conciliaueris; magno
rum verò Heroum gratiam sis adeptus, tantaq;
domum cum laude redieris, ut verè possis dice-
re, constare tibi iteneris rationem; non solum ti-
bi, sed Nicolao etiam, parenti optimo, in cuius
amplexum, atque osculum a què saluus, atque ex-
pectatus venisti, ex animo, & verè gratulor,
ut principio dicebam: mihi verò, qui hanc pere-
grinationem tibi bene, & feliciter euenturam
sum auguratus, mis autem summae voluptati, at-
que honori futuram predixi, mirificè gaudeo:
eoq; etiam magis, quo plurimorum iudicio suis if

se laudibus sim adscribendus; quod, quae tua sponsa
te fecisti, libentius etiam meo, qui te amo tuo me-
rito plurimum, adductus consilio feceris. in
eamq; sententiam volui hoc ad te dare lettera-
rum, quae testes scilicet perpetuo forent laudum
tuarum, & amoris erga te mei. Vale.

Ticino pridie idus Apriles.



Epistolam complicaturo raddite mihi sunt
ab amico eodem meo, eodem tuo litteræ cum
exemplo epistole, quam ad eundem miseras, non
modo oratione sed stylo etiam Horatianis quam
simillimo. Cuius lectione eò sum delectatus ma-
gis, quò tibi de te ipso affirmanti credideram mi-
nus, in istam etatem posse cadere aut orationem,
aut stylum illius poetæ, qui, ut de eo cecinit
acerrimi iudicij vir,

dulces scriptis cum compellaret amicos,
Protulit effatos, velutique ex tempore versus :
Quos sale Romano: atq; Italo conspersit aceto:
Quorum sunt tamen Hyberna niue candidiora
Verba, quasi è liquido, & puro manantia fonte.
quid tamen in eo genere possent, multi &
nostra, & patrum memoria, præstantissimi
aliòqui poetæ, tentarunt: illud tamen scribendi
genus paucissimi sunt aßecuti. Tu, nifallor,
& oratione, & stylo Horatium non modò ad-
umbrasse videris, sed etiam expressisse. Quòd
autem communis amicus affirmat, te duos su-
pra quinquaginta panxisse versus ante, quam è
sellæ surrexisti; alijs fortasse rem miram narrat;

mihi, qui tuum ingenium probè noui, non miram: est enim.

Quale fuit Cassì, rapido feruentius anni.
cuius tu illa non solum sape babes in ore, sed
etiam ad usum reuocas.

Non leuis ascensus, si quis petit ardua: sudor
Plurimus hunc tollit: nocturno exsommnis oliuo
Immortur; delet, quod mox laudauerit in se,
Qui cupid æternae donari frondis honore.



Επειδη τοι δεν έχετε την αρχή της σειράς μας, θα πρέπει να την αναζητήσετε στην προηγούμενη σελίδα.

IN ANNIBALIS CAMP E G I I

Ingenium.

Δαιδαλός
Φαραώ

Dædala, quis variis submittit Terra colores,
Flagranti patulos flore referta sinus.

Dædala. quum verno flores leuis ingerit alueo,
Ver populata fugax, tectaque fingit apis.

Dædala mens fabri fuit olim sedula Cressi,
Quum labyrinthæas condidit arte domos.

Dædala, folliculos ubi texit, licia Bombyx
Ore uomens; viuam se tumulo ipsa tegens.

Dædala solerti studio, Fouis ipsius alto
Prognata ex capite, dia puella fuit.

Terra, ape dædalior, fabro, Bombyce, puella
Annibal: hoc uno dædala turba minus.

UVIA. BHSC. BV 08960 (03)

UVIA. BHSC. BU 08960 (03)